

III.

NEOVIDENSIS

Nro 60. (*Neovidensis* Nro 83.)

Secretum litterarum commercium vivos inter ac mortuos.

Sempiternus Judæus salutem dicit cuidam suorum amicorum apud inferos degenti.

Ex Mundo superiore.

Elysiu -- Meum. -- Die Veneris 26. Oct. 1804. (*Neov.* 12. Oct.)

Recte hodie complentur 1200 anni ab eo tempore, quo nos Romæ ultimum vidimus. Pessima erant tunc tempora! Conquerentem me de statu meo, videlicet perpetui Judæi, risu excepisti, tu autem Rabbini eras Caribarum, nullam habebas fidem Talmudi, Historia æterni Judæi tibi fabula fuit.

Attamen ego vivo, & vagor per orbem universum. Periniqua usus sum fortuna usque ad exitum sæculi decimi septimi. Diversæ infirmitates me affligebant, contra quas paucas reperi medicinas; Coactus eram naturæ, & sempiternæ me tradere vagationi. Ex quo tempore autem Ephemerides habentur, facile est se curare. In Hamburgensibus novis, & aliis contra omnis generis mor-

hos, quibus miserum genus humanum præmitur, præsto sunt medicamenta: Antipodagrica, Balsamum vitæ, roborantes pilulæ, Tincturæ evehentes omne, quod evenire potest corpori, malum; sanantes debilitatem, indigestionem, obstructions, & omne genus frigidarum, & calidarum febrium. Vix alicubi quæpiam infirmitas attollit caput, illico legiones medicinarum, & arcanorum eidem obviam proficiscuntur. Præter hæc dantur etiam Medicinales, & Chyrurgicæ Ephemerides; Hic non possum meam maximam admirationem celare, existentibus jam innumeris medicamentis, quotidie tamen, uti alias, video mortuos sepeliri.

Inter alia ante 7. annos peragravi viciniam Rheni, ubi Mars crudelissime sæviebat, fragor tormentorum, aliarumque machinarum bellicarum adeo mihi aures labe factaverat, ut cœperit auditus imminui. Verum legi in Ephemeridibus, ut, qui surdaster est, utatur Calvanismo. Accessi sine mora virum in hac arte expertum, & obstupesce, residuum etiam auditus una succussione penitus amisi; Et, ne ars hæc intereat, debui testimonium scriptum dare, me esse plene curatum. Heu timeo, ne idem cum aliis etiam salutaribus; ut dicitur, inventis agatur! Interea adhibui aliud remedium, quod ex Hamburgensibus novis doctus sum, Imposui caput in acervum formicarum, quæ penetrantes in meas aures totam pituitam, quæ reboatu tormentorum a cerebro avulsa

ad membranam tympani deciderat, consumserunt, & ego recepi auditum.

Incidi dein in Hecticam, quæ me supra modum debilitavit: In certis novis legeram contra hanc tabem optimum esse remedium, colligere rorem ex quibusdam herbis, illumque sumere; ita quæpiam Matrona Anglica pristinam recuperavit valetudinem. Collegi, bibi, convalui.

Profecto singularem merentur attentionem rerum novarum Commentarii. Quantam Talmudi, tantam illis feliciter, vel infeliciter tribuo fidem. Morabar pacifice in Gallia Aquileiæ in Provincia Ornensi, repente quodam mane tradita mihi fuere nova Parisina, in quibus non sine stupore legi, ante paucos dies in domum, quam incolebam, ingentes lapides de cælo cecidisse, imo cubile, in quo dormivi pertudisse. Quod autem me adhuc magis attonitum fecit, erat, quod hos lapides ex Luna devolutos fuisse eruditi propugnent. Totis artibus contremui, præ timore, ne Luna me lapidibus obruat, insomnes egi noctes. Relicta hac vicinia demigravi in Provinciam Foretanam. Hic aliquo tempore fruebar pace, dum iterum nova Parisina me perturbarent. Annunciaverunt enim, pagum, quem pro habitatione delegeram, electricitate radiorum solis accensum, redactum esse in cineres, in quo incendio ducenti incolarum flammis esse consumti ab eruditis describuntur. Hoc infortunium tam multis, & terri-

bilibus cum circumstantiis depingitur, ut neque de eo dubitare, neque Scriptoribus contradicere audeam. Excessi ex hac infortunata patria, uti quondam Lot Sodomam deseruit. Ita enim mecum ratiocinabar: Luna te pepulit Aquileia, nunc te ex Provincia Foretana exturbat sol. O te serio infelicem!

Fata mea me deduxerunt ad fontem Bellaqueum, hic me tandem pace fruiturum cogitaram; At vix locum attigi, nova Parisina fide sua mihi persuaserunt, me serpentibus esse circumdatum, illos jam sibilare, & fistulare audiebam, timor omnia mea ossa pervasit. Cum nonnullis eruditis, portans in manu Ephemerides Parisinas, concessi in sylvam, quærebamus serpentes, & viperas, sed nihil deprehendimus, probabilius, ut Buffonius asserit, latebras petierunt, ut hac anni tempestate pellem exuant. De existentia eorum nulli potest oriri dubium, eam enim publici Nuncii factis probant, scilicet ex eorum morsu nuperrime duas proles periisse, in quibus sectis Medici vestigia veneni compererunt. Hoc omnino nequit in controversiam vocari. Namque nova in confirmationem facta adducunt, & nihil meretur majorem fidem, atque res gestæ.

Sed quæ est forma harum viperarum? Suntne ex genere illarum, quæ Cleopatram enecuerunt? Mihi videntur novissimæ esse speciei, & forte etiam ex Luna, uti dicti lapides, descendisse. Ceterum meum non est in messem doctorum, & scriptorum rerum

novar
li pos
S
tam
Serpe
jussa
Suevi
illuc
tem s
tracta
ci inv
repug
puell
lata s
temp
& ut
autem
gusto
suevi
guiss
mine
est t

quor
Hic
ac G
ma o
intel
Han
per
que,
prog
itaq

novarum falcem immittere, hac de re illi soli possunt sententiam pronunciare.

Superi avertant, ut diutius moras nequam in Regno, in quo a Luna, Sole, & Serpentibus tanta imminent mala. Valere jussa Gallia, per Argentoratum transivi in Sueviam, Mensis Augustus labeatur, dum illuc appuli. Jucundo eram animo, & artem suevice saltandi manibus, pedibusque tractabam. Circa medium Augusti boni amici invitaverant me ad encœnia templi. Non repugnavi, imo in saltu cum formosa suevica puella me produxi; Dum hæc agerentur, adlata sunt Cauponi nova, non poteram mihi temperare, quin ea expeterem, obtinui, legi, & ut melius videam, bis extersi oculos; quid autem legi? Hominem in Suevia mense Augusto, recte eo tempore, quo condiscendo suevico saltui operam dabam, frigore obrixisse. Cohorrui, & conclusi, ibi, ubi homines mense Augusto frigore intereunt, non est tibi manendum. Atque inde me proripui.

Continuavi susceptum iter, quin scirem quorsum, delatus tandem sum Hamburgum. Hic fama percrebuit Russos inter, & Suecos, ac Gallos bellum oriturum. Mea autem maxima cura est lectio rerum novarum; Ex iis intellexi, Gallicum exercitum in Electoratu Hannoverano excubantem augeri & postea per terram Mecklenburgicam Stralsundam usque, urbem Suevicæ Pomeraniæ præcipuam, progressurum. Hæc novitas me percussit, ne itaque medium hostilis impeteret ignis, adeo

æceleriter festinabam, ut 6. Octobris Berolini constiterim. Hic mihi maximum arcanorum detectum est: Bellum maritimum sponte sua cessaturum, jam enim inter plures Aulas coalitum est, ut Russi occupent insulam Melitam. Hæc ratione pomum dissensionis eliminabitur ex quæstione litis, seu ansa belli tolletur. Hæc res incredibili me gaudio replevit, verum Anglica nova illud iterum dissipaverunt; Ajunt enim Barrerium dixisse 28. Septembris: Aut nulla amplius navigia tormentaria, aut nulla pax. Delendus est hostilis apparatus! Reipsa verum ait, hanc enim sui asserti assignat rationem: Quamdiu minora Gallorum navigia extiterint, tamdiu Anglia nulla die tuta est ab excensione; Tristis veritas! Taliū veritatum lectio in publicis foliis æternum Judæum summo afficit mœrore, omnem ei spem pacis adimit, & si illi semper, & perpetuo migrandum est, infortunio belli magis opprimitur, atque alii Judæi, qui norunt bellum in suam convertere utilitatem.

Multa me adhuc in mea peregrinatione usus docebit. Ego ultro, citroque comæo, summaque perfruor voluptate, posse hodiernam Philosophiam, illuminationem, omnesque elegantes reculas, quæ inveniuntur, & summa cum pompa in Ephemeridibus buccinantur, persequi. Res omnino immortalis est inventio Ephemeridum. Ex iis licet omnia discere, scientias, artes, vaniloquentiam, medicamenta, quibus condiscendis frustra fuisset opera, & tempus in Universita-

tibus
magnet
attinet
tentis
tædium
severa
ut, qu
tuum

S
qui in
usque
terrar
vincia
venit
storu
ad ne
volui
ne A
tor a
go h
usqu
la e
Alter
Mon
didit
ad n
dictu
grec
seve

tibus impensum. Nautæ semper in acum magneticam defixos tenent oculos, quod me attinet, ego peregrinando vitam traduco intentis in nova oculis. Hæc me spe alunt, tædium, & solatium pariunt, ideo omni asseveratione affirmo, me ordines facturum, ut, quamprimum in novis legero, me mortuum esse, quam ocysissime sepeliar. Vale.

B i o g r a p h i a.

Sempiternus Judæus. Fabula de Judæo, qui inde a tempore Christi in crucem acti usque ad extremum judicii diem per orbem terrarum oberret, per multas Europæ Provincias diffusa est. At narratio non convenit in omnibus, uti fieri solet in vitis **Santorum**. Alii rem ita expediunt: Christus ad necem ductus, & sub onere crucis fessus voluit ante domum cujusdam Sutoris nomine Ahasveros conquiescere, unde eum Sutor abegit. At Christus respexit dicens: Ego hic quietem captabo, tu autem vades, usque dum redivero. Ex hoc tempore nulla ei quies, sed perpetua circumcursatio. Altera narratio, quam Matthæus Parisiensis, Monachus sæculi decimi tertii memoriæ prodidit, ita sonat: Christum a judicio Pilati ad mortem abductum Ostiarius, Cartaphilius dictus, pugno impetiit. Jesu, inquit, progredere celerius, quid moraris? Cui Christus severo vultu reposuit, ego procedam, tu

autem expectabis, donec venero. Atque iste homo hodie dum vivit, de loco in locum migrat, perpetuo angitur metu, usque dum Christus mundum iudicaturus apparuerit. Tertia Expositio prioribus addit: Hunc vagabundum Hebræum quovis sæculo gravissime ægrotare, recuperataque valetudine pristinam recipere formam, indeque provenire, ut, licet multa jam sæcula compleverit, non videatur tamen senior, quam vir 70 annos natus. Tantum constat ex diversis annalibus ecclesiasticis. Interim ex veteribus Scriptoribus nullus potest in medium proferri, qui hanc historiam vel verbulo commemoraret. Primus eam attigit Monachus Sæculi decimi tertii, sed notum est omnibus, quantum tum valuerint piæ fictiones. Cæterum hæc historia adeo propagata est, ut in proverbium abierit. Sic hodie ad huc dicitur: Circuit, ut si Judæus foret æternus: Nec deerant homines, qui se hunc Judæum vidisse perhibuerunt, verum ex testimoniis eorum ad leges historicæ veritatis exactis patuit, eosdem hanc fabellam ea ex causa confinxisse, ut credulis hominibus imponerent, hunc vel illum esse illum vagabundum Judæum; Hinc facili negotio enasci potuit, hic aut ibi visum fuisse sempiternum Judæum.

N E

Æneas
 Sy
 cl
 fa
 re
 Pr
 E
 D
 A

Elysium

Quæri

Qu
 ampl
 ratur
 caus
 rant
 ve f